Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35415
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Vidi alterum angelum descendentem
de celo amictum nube et yris
in capite eius et facies eius
sicut sol. Apocalypsis 10. In verbis istis tan-
Rub' notantur de sancto Barth. Primo
sanctitas vite cum dicitur Vidi alterum an-
gelum descendentem de celo amictum. Primus enim
angelus fuit beatus Rudbertus de
quo bene apparet quod angelicam vitam
duxit. Secundus angelus fuit beatus Rudb.
qui bene angelo comparatur propter mun-
diciam vite. In carne enim vivere
preter carnem non est humanum sed an-
gelicum. Ipse enim vitam angelicam
ducens omnia contempsit scilicet carnem
mundum et dyabolum. Sic quod duo
angeli velabant archam domini in
templo Salomonis sic Rudbertus et
Ruthardus velabant archam id est sanctam
ecclesiam suis sanctis exemplis et precibus.
2o notatur premium quod adeo accepit
id est cum dicitur et yris in capite eius.
3o beneficium eius quod nobis prestat et
hoc ibi et facies eius sicut sol. Circa
primum notandum quod fuit duo in angelo
propter que sanctus Rudb. angelo comparatur.
Primo quia angelus est mundissime
nature quia numquam peccavit nec pec-
care potest et hoc habet per naturam. Sic
beatus Rudb. mundissime vixit quia
virgo usque ad mortem permansit
et hoc donum non habuit per naturam
sed per graciam. Habuit enim animum sub-
limatum celestium contemplacione
totus quidem erat in celo et non
sensibilis videbatur in mundo
unde dicitur in legenda sua: Ita totus
in spiritu absorbtus est ut iam nullis
uteretur sensibus corporis. Sic potuit
ibi exemplum de domino testudinata.
2o quia est quod angelus habet nunciare. Unde
angelus interpretatur nuncius. Habet

enim legacionem dei hominibus nunciare.
De hoc multa habemus exempla. Primo in
Gabriele qui missus fuit ad
virginem Mariam quod filium suum
ihesum concipere debuit. Item in Johanne
Baptista quod nasci debuit de steri-
li matre. Item angeli missi fuerunt ut
educerent Loth de Sodomis ut dicitur
in Genesi. Sic beatus Rudb. existens
in hoc mundo fuit dei nuncius
populum suis predicacionibus et ex-
emplis convertens ad viam veritatis
reducens. Populus enim qui ambu-
labat in tenebris peccatorum vidit
lucem gratie et hoc per doctrinam eius
et exemplum. Sermo enim eius tanta erat
potestate plenus quod obediebant sibi
elementa sensibilia corda et
demonia. Elementa quidem sicut
patet in pluvia quam littera scribere
voluit. Obediebant eciam sibi
sensibilia sicut patet in muscis quas
excitavit. Obediebant eciam sibi
hominum corda sicut patet in militibus
rapinam exercentibus quibus vinum
per ministrum misit dicens bibite po-
culum animarum et continuo sunt mutati
sunt. Obediebant eciam sibi demonia
sicut in multis patet quos liberavit
non verbo non sceptro non ferro etc.
Et ideo merito angelus dicitur quia lega-
cionem dei in corde et in ore suo
usque ad mortem portavit. Item fuit
amictus nube id est caritate. In
nube tamen sit. Est enim aquosa
tenebrosa et magna. Sic caritas
sua fuit aquosa quia non solum
pro suis peccatis flevit sed eciam pro peccatis
multorum. Fuit eciam tenebrosa
id est humilis. Non enim reputabat
dignum aliquo honore. Respuit
enim multos honores propter humilitatem.
Fuit eciam magna quia ad omnes